

nostrum esse filium Sunamitidis ab Elisa promissum, deinde mortuum, sed ab eodem Propheta vitæ restitutum, quam traditionem refert Abarbanel in Commentario. Sed patet, eam superstructam esse fundamento ficulneo, ex etymologia nominis desumpto. Si vera esset, sequeretur Habakukum ducentos & plures annos vixisse. vid. Bartolocci Biblioth. Magna Rabb. P. 2. p. 170. & seq. Elisa enim Propheta c'aruit circa annum ante Christum natum 895. sub Regibus Joram & Josaphat 2. Reg. III. quibus regnantibus Sunamitidis filium resuscitavit Elisa, 2. Reg. IV. Habakuk vero vaticinatus est proxime ante Nebucadnezaris Regis Chaldæorum invasionem primam in Judæam, quæ incidit in annum 607. ante Christum natum juxta Usserii Annales. Ex quo manifestum est, Judæorum traditionem, quæ Habakukum pro Sunamitidis filio venditat, esse fabulosam. conf. Huet. Demonstr. Evang. Prop. IV. de Proph. Habakuk p. m. 508. qui illam traditionem nugas Rabbinicas appellavit.

§. 2.

De patria prophetae nostri ex scriptura S. nihil certi constat, & Patres Ecclesiae diversas proferunt sententias. Epiphanius & Pseudo-Doroth. eundem oriundum dicunt ex tribu Simeon, natumq; in agro Bethsocher. Haec de eo in Vitis prophetarum p. m. 247. refert Epiphanius. *Habakuk propheta ex agro Bethsocher tribu Simeonis originem duxit, qui ante Babylonicam migrationem Hierosolymorum excidium prospiciens, vehementer urbem & populum luxit.* Alia & diversa tradit Hieron in Procem. Comment. in Daniel. Ubi cum Eusebio & Apollinario tradit Habakukum fuisse filium Jesu de tribu Levi, sicut juxta LXX. interpretes in titulo ejusdem Beli fabulae ponitur.